R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.



Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

98-106-15

AD ILLVSTRISSIMVM D. Iacobum Bragadenum DIGNISSIMVM VERONAE PRÆTOREM

ALEXANDRI ZONZII CARMEN.



VERONÆ,
Apud Hieronymum Diſcipulum.
M D X C I I I.

AD ILLVSTRISSIMVM
D. IACOBVM BRAGADENVM
DIGNISSIMVM VERONAE
PRÆTOREM

ALEXANDRI ZONZII
CARMEN.

IBIS, & incolumis ſine te Verona manebit?
Tu noſtros poteris deſeruiſſe lares?
Heu patria, heu vigilem patieris abire parentem?
Non decus heu rapitur, præſidiumq; tuum?
Ecquis erit nobis, qui ſic ſuccurrat egenis?
Obuia cum precibus corripe frena manu:
Quadriiuges ſiſtas; lacrimas effunde; miſertum
Forte virum lacrimis in tua vota trahes.
Cur te non teneat, proles certiſſima diuùm;
Aſpera cum miſeræ rumpere fata queas?
Solus in his laudes diuùm meruiſſe videris;
Diceris & meritis Amphitryoniades:
Occidit Herculeis Lernæus viribus anguis;
Tot capitum diræ procubuere minæ:

Occidit ecce tuis, Bragadene, laboribus ingens,
Horrendum monſtrum pernicioſa Fames;
Cui caput exciſum toties; cui mille renata
Viribus ingenij iam cecidere tui.
Fudit in Italiam miſeram fœdiſſima monſtra,
Harpyas, auidas ianua Ditis aues.
His domibus, lucis, agris; his monte, lacuque,
Flumine nil tutum, concutiente Fame.
Mercibus, aut ære ingemuit mercator adempto;
Paſtores raptis ingemuere focis.
Heu quoties luxit genitrix mæſtiſſima natum;
Heu quoties ſponſum caſta puella ſuum:
Te oderunt monſtra hæc, Boreæ clariſſima proles,
Enſe feris; fugiunt; tartara nigra petunt.
Syſiphus, atque Scinis, Scyron demiſſus ad Orcum
Prodidit inſignem Theſea morte virum.
Alcides Cacum, & rapientem cuncta Procuſtem
Præcipitans Orco, nomina clara tulit.
Non virtute tua terni, aut cecidere quaterni
Extorres, trunca eſt queis piceata manus;
Mille ſed Elyſii petierunt regna tyranni;
Mille ſuis telis ſæua Megæra premit.
Ergo heros veteres ſuperas heroas vbiq;
Splendore vt Titan ſydera clara poli.

Liquerat inuiſos homines Aſtræa; reuiſit
Hæc modò Veronam; quòd tibi fida comes.
Te docuit ciues; docuit componere lites;
Ecce ſilent tacitæ, quæ ſtrepuere, domus.
Iam fugit ad nigras Herebi Cocytia ſedes
Virgo; en diſſidijs, inſidijſque modus.
Atque deam mirum nihil eſt ceſſiſſe deorum
Viribus, & ſuperos plus valuiſſe deos.
Nuntius ecce tibi ſuperum Cyllenius aſtat;
Aurea virga tibi; fulua catena tibi.
Te Pietas, te priſca Fides comitatur euntem;
Caſtus Amor ſequitur; te bene iunctus Honos.
Iure igitur Verona tuos ſic flumine vultus
Humectas; abeant cum bona tanta tua.
At tua non ſemper; videas; accerſitur heros
In patriam patribus, conſilioq; ſenum.
Quadrijugos igitur fruſtra tibi poſſe morari
Sperabam; fruſtra me monuiſſe vides.
Hunc regina parens reuocat; dare brachia collo
Ter circum cupiens: FERRE neceſſe feras:
PECTORE quod forti patieris, mitius anget:
NIL homini proprium; ſic bona noſtra volant.
Macte igitur virtute, Ducis reuocaris honore;
Vade; ſed has lacrimas pignus amoris habe.

98-106-16

Vade decus patriæ, plectro celebrande Maronis;
Threicijs fidibus; carmine Mæonio.
Vade, parant titulos Veneti; tibi marmora quærit
Verona; è ſuperis præmia digna feres.

~~H595 N479s V.I~~

J595
N479s
V.1